

VIII.	Libri Indici. . . . .	p	281
IX.	Libri Malabarici. . . . .	»	282
X.	Liber Singalicus. . . . .	»	285
XI.	Liber Telugu. . . . .	»	284
XII.	Liber Malayâlim. . . . .	»	284
XIII.	Libri Malaïci. . . . .	»	285
XIV.	Liber Javanicus. . . . .	»	288
XV.	Liber Batakkius. . . . .	»	288
XVI.	Libri Bugici. . . . .	»	289
XVII.	Libri mixti argumenti et variis lin- guis scripti. . . . .	»	290
	Indices. . . . .	»	299

**LIBRI MANUSCRIPTI ORIENTALES.**

**I. Libri Hebraïce scripti aut ad linguam  
Hebraeam spectantes.**

N. I.

(Ex Willmeti Catalogo n. 215 in p. 31. Ab hoc emtus  
est e bibl. Walraveni, cujus vide Catal. p. 57 n. 10.)

Volumen chartae pergamenae, in quo *Liber Esthe-  
rae* scriptus est. Longum est unam palmam et sex  
pollices Neerlandos, latum vero duas ulnas et prope  
sex palmas. Sex constat membranae partibus inae-  
quali latitudine, inter se consutis; undeviginti au-  
tem scripturae columnas offert, quarum itidem aliae  
aliis latiores sunt. Nec eundem quoque versuum  
numerum hae continent: tres primae, quae majori-  
bus litteris et fusius sunt scriptae, 18; sex sequen-  
tes, quae paullo minoribus et pressius, 21; aliae  
etiam plures ad 25 usque. Manus sat bona et per-  
spicua est, at neque elegantissima nec ubique firma.  
Vocalibus destitutum est, et verba ita inter se con-  
tinuata, ut colorum quidem distinctio nulla appa-  
reat, solae autem sectiones majores relictis spatiis a  
se invicem separatae sint. Aetas non indicata: tria  
et vel plura saecula habere potest, nec multo certe  
recentius esse, pallidior et ad flavum vergens atra-  
menti color arguit. Cum tegumenti expertus sit, ex-  
terior ejus pars paululum aquâ et pulvere inquinata  
est, interior vero bene conservata.

## N. II.

(Ex Willm. Cat. n. 216 in p. 31. Incertum, a quo hic emerit.)

Volumen ejusdem materiae et eundem librum complectens. Longum est unam palmam et octo pollices Neerlandos, latum unam ulnam et octo palmas ac dimidiam. Membrana tenuior et laevior est quam superioris voluminis, ac tribus tantum constat partibus, quarum duae priores inter se latitudine aequales sunt, tertia solam ultimam scripturae columnam exhibet. Totum absolvitur quindecim columnis, quae, sibi invicem perfectum in modum adaequatae, singulae 22 versus continent. Litterarum figura minuscula et elegans est, scribaeque manus ut nitidissima ita satis sibi constans. Vocales absunt, neque cola aut capita numeris notata: in cujusque tamen coli fine, nisi simul versus absolutus erat, vacuum spatium relictum est. Aetas ejus incerta; at multo recentius esse quam superius volumen, tam litterarum forma quam atramenti color indicat. Exterior membranae pars, cui radius ebeninus alligatus est, nonnihil sordium contraxit; caetera vero pura et nitida mansit, utpote tecta pharetrâ ebeninâ, in quam tota circum ligneum fusum involvitur.

## N. III.

(Ex Willm. Cat. n. 214 in p. 31. Ab hoc emtus est e bibl. Bruinii (n. 59), qui eum comparaverat e bibl. Willemseni, cujus vide Catal. p. 166 n. 1804\*.)

Codex membraneus in 4° maj., foliorum 249, vetustissimus ipse, sed longe recentiori ligaturâ, itidem ex pergamenâ factâ, compactus. Ab initio ad finem unâ manu, firmâ et perspicuâ, scriptus est, litteris Hebraeis majoribus, quibus vocales accuratissime sunt additae: nec tantum puncta quoque illa, quae *dagesch forte* et *lene* dicuntur, suis ubique locis expressa sunt, verum etiam litteris בגרכפת, quotiescunque *dagesch leni* carent, lineola, quae

רפה appellatur, imposita est. Septem prima folia per vetustatem trita et scissa ac reliquis squalidiora sunt: alia etiam haud pauca maculis inquinata, et in aliis nonnullis scriptura per temporis longinquitatem ita obscurata et pallida facta, ut non sine labore jam legi possint. Major tamen Codicis pars pro tantâ aetate, quantam habere videtur (quâ de re infra dicam), optime conservata et lectu facillima est. Recentior manus Rabbinica (verum ipsa quoque valde vetusta), ut passim in paginarum margine nonnulla annotavit, ita in primo folio recto novum praemisit indicem, et reliqua etiam folia quae librarius ipse vacua reliquerat, implevit. Constat ex duabus partibus, quarum prior non nisi precum formulas, et ex eo quidem genere quod vulgo כליחות appellatur, posterior vero praeter has etiam קינות, sive *elegias*, continet. Preces vero illae maximâ quidem ex parte cum iis conveniunt, quae hodie apud Judaeos qui ritum *Germanicum* (מנהג אשכנז) sequuntur, usitatae sunt, sed ut permultae tamen inter illas exstant, nunc cum solo ritu *Polonico* (מנהג פולין) conjunctae, ita nonnullae etiam absunt, quae ex altero illo requiruntur; atque universarum quoque *ordo* is est, ut neque ad hunc, neque ad illum ritum, uti nunc separatim constituti sunt, accurate sit compositus: etiam hac tamen ex parte ad *Germanicum* proprius quam ad *Polonicum* ritum accedunt.

*Priori* parte, quae longe major est et folia 217 complectitur (quae antiqua manus Judaea litterarum notis insignivit), sequentia continentur: 1°. a fol. 1 verso ad 4 rectum, index precum, quae in hoc Codice exstant ad fol. usque 202 rect.; quem indicem recentior illa manus Rabbinica continuavit. 2°. a fol. 4 vers. ad 5 rect., precatio quae apud Judaeos, tempore quod inter Novi Anno diem (ראש השנה) et diem Expiationis (יום כפור) intercedit, post solitas שמנה עשרה, sive *octodecim gratiarum*

*actiones*, recitatur. 3<sup>o</sup>. a fol. 5 vers. ad 7 vers., precatio quae apud eosdem, singulis diebus Lunae et Jovis, post שמנה עשרה usitatur. 4<sup>o</sup>. in fol. 8 rect., rursus novus index, quem recentior illa manus Rabbinica in hac paginà, quam librarius vacuum reliquerat, scripsit. 5<sup>o</sup>. a fol. 9 rect. ad extremum fere 23 vers., preces quas recitare incipiunt illo die Solis, inter quem et sequentem Novi Anni diem spatium intercedit quatuor minimùm dierum. 6<sup>o</sup>. ab extremo fol. 23 vers. ad extr. fere fol. 53 vers., pars precum quas instituunt inde a die qui sequitur ראש השנה, usque ad diem qui כפור יום proxime antecedit. 7<sup>o</sup>. ab extr. fol. 53 vers. ad initium fol. 87 rect., preces quas recitant ipso illo die qui ante כפור יום proximus est. 8<sup>o</sup>. fere ab init. fol. 87 rect. ad medium fol. 199 rect., reliquae preces quas instituunt intervallo temporis inter ראש השנה et יום כפור. 9<sup>o</sup>. a med. fol. 199 rect. ad init. fol. 200 rect., duae preces ex earum numero, quas recitant die 13<sup>o</sup> mensis אדר, qui dies jejunii est, in memoriam jejunii Estherae constitutus. 10<sup>o</sup>. ab init. fol. 200 rect. ad init. fol. 202 rect., tres preces ex illarum numero, quae fiunt die 17<sup>o</sup> mensis תמוז, die jejunii ob diruta a Romanis, Tito duce, Hierosolymorum moenia. 11<sup>o</sup>. ab init. fol. 202 rect. ad extr. fere 207 rect., preces quas recitant die 10<sup>o</sup> mensis טבת, die jejunii ob inceptam a Chaldaeis, duce Nebucadnezare, Hierosolymorum obsidionem. 12<sup>o</sup>. fere ab extr. fol. 207 rect. ad fin. fol. 213 rect., reliquae preces diei 13<sup>i</sup> mensis אדר. 13<sup>o</sup>. a fol. 213 vers. ad med. fol. 217 vers., reliquae preces diei 17<sup>i</sup> mensis תמוז. Hic desinit prior Codicis pars, cui librarius grandiori caractere Hebraeo haec subscripsit: חזק ונתחזק שמחה בר יצחק לא יזק לא היום ולא לעולם עד שיעלה חמור בסולם: אמן אמן אמן סלה סלה סלה:

In posteriori parte, quae folia 32 continet (idem numerata, sed recentioribus manibus, et par-

tim litteris Rabbinicis, partim nostris numerorum signis), haec exstant: 1<sup>o</sup>. a fol. 218 vers. ad extr. fol. 222 rect., preces quae inseruntur solitis illis שמנה עשרה, matutino tempore diei 9<sup>i</sup> mensis אב, qui dies est gravissimi jejunii, quo celebratur memoria utriusque Templi combusti, prioris a Chaldaeis, posterioris a Romanis. 2<sup>o</sup>. ab extr. fol. 222 rect. ad med. fol. 238 rect., elegiae quas Praecentor in conventu sacro canit, eodem illo jejunii die. 3<sup>o</sup>. denique, a med. fol. 238 rect. usque ad fol. 249 vers., sive finem Codicis, elegiae illae, quas eodem die aliquot e coetu viri, se invicem excipientes, canunt. Huic parti Codicis nihil a librario subscriptum est.

Quod jam ad ejus aetatem et originem attinet, primum quidem ex eo, quod de ritibus Germanico et Polonico hîc multifariam inter se commixtis dixi, manifesto apparere videtur, non tantum ipsum opus compositum, sed hoc quoque exemplum descriptum esse, eo remoto tempore, quum duo hi ritus nondum a se invicem diligenter sejuncti essent, sed adhuc inter se cohaerent. Cui antiquitatis indicio alterum accedit, quod etiam ad compositoris nomen et aetatem definienda prope, ut opinor, nos adducit. Nimirum dubitari nequit, quin illud nomen, quod in subscriptione prioris partis se offerre dixi, שמחה בר יצחק, scribae sit, at in infimâ orâ primae Codicis paginae, quae, omnium squalidissima et obscurissima, indicem illum serius praefixum continet (vid. p. 3 vs. 11 seq.), haec insuper litteris Rabbinicis, vetustate prope deletis, scripta sunt: אילו הכליחות שליצחק בר שמחה. Cui annotationi si confidi potest, consequens est, ut auctor hujus libri nomen gesserit *Isaäci filii Simchae*; ac simul probabile fit, hujus ipsius filium fuisse *Simcham* illum *f. Isaäci*, qui, scriba hujus exempli, paternum ergo opus descripserit. Jam porro a verisimilitudine non abhorreere videtur, *Isaacum* istum qui

hic *Simchae filius* dicitur, eundem esse atque *Isaacum ben Samuël ben Rabbi Simcha*, i. e. nepotem noti illius R. Simchae, qui discipulus fuit celebratissimi Doctoris Salomonis Jarchi (sive רש"י, mortui a. 1104 aut seq.), quique vulgo ab urbe Galliae *Vitré* cognominatus est ר"ר שמחה מעיר ויטרי, sive brevius ר"ר שמחה דויטרי (1). Ab hujus ergo

nepote si hic liber compositus et a pronepote hoc exemplum descriptum est, sequeretur, ut illius origo in exitum saeculi a C. N. 12<sup>i</sup>, et hujus in priorem partem saeculi 13<sup>i</sup> incideret. Et tantum quidem abest, ut ipsius Codicis habitus huic quam proposui conjecturae obloquatur, ut potius quantum maxime possit eam confirmet. Tum enim verborum orthographia, tum universa scribendi ratio, tum membranae et atramenti color, hoc saltem evidentissime demonstrant, jam dudum ante typographiam apud Judaeos introductam, id est, ante annum circiter 1475, eum exstitisse (2).

#### N. IV.

(Ex Willm. Cat. n. 217 in p. 31. Ab hoc emtus est e bibl. E. Scheidii, in cujus Catal. non separatim

(1) Qui ut eruditionis laude excelluit, ita inprimis notum est opus ejus, quod appellatur מהזור ויטרי, quod, astromomici argumenti, precibus quoque, סליחות dictis, abundat. Conf. de ipso et hoc ejus opere Bartolocci *Bibl. Rabb.* IV. p. 405 a. n. 1805, Buxtorf. *Bibl. Rabb.* p. 89, et Wolf. *Bibl. Hebr.* I. p. 1124 et III. p. 1131 n. 2151.

(2) Ad summam antiquitatem hujus Codicis probandam fortasse etiam valet proverbialis illa locutio, quâ librarius in subscriptione istâ usus est: ער שייעלה חמור בסולם,

donec asinus per scalam adscendat, id est, in sempiternum. Quae dictio (a Buxtorfio notata in *Lex. Chald. Talm. et Rabb.* in v. חמור) vetustissimi temporis ingenium prodit, nec a recentioribus, quantum scio, usitata est.

commemoratur, cum subjunctus esset *Anonymi Adversariis philologicis*, n. 6 in Q<sup>o</sup> *librorum omissorum*).

Liber in 4<sup>o</sup>, foliorum 128, quorum longe plerumque tamen nihil continent. Willmetus, qui eum consuendum chartaceoque involucre tegendum curavit, hunc in fronte ejus titulum scripsit: *E. Scheidii, V. Cl., Apparatus ad Rudimenta Hebraica*. Constat vero ex quinque partibus, quarum *prima* exhibet vocales Hebraeas et reliqua puncta grammatica, itemque accentus in libris poëticis usitatos (2 pagg.); *secunda* nomenclatorem, in 17 capita distributum, nominum substantivorum Hebraeorum, cum interpretatione Hollandâ et Latinâ (22 pagg., vacuis relictis 40); *tertia* locutiones familiares Hebraeas, cum interpretatione Hollandâ (4 pagg., vacuis relictis 100); *quarta* locos nonnullos Hebraei Codicis, ita descriptos, ut plerisque vocabulis interpretatio Hollanda inter versus subjecta sit (22 pagg.); et *quinta* Glossarium Hebraeo-Hollandum, secundum ordinem litterarum Hebr., cujus tamen vix *initium* in paucissimis litteris factum est, ita ut de 66 ejus paginis, 56 plane nuda sint. — Ipsius Scheidii manu scriptus est.

#### N. V.

(Ex Willm. Cat. n. 101 in p. 17. Ab hoc emtus est e bibl. E. Scheidii, in quâ prostabat (conjunctim cum n. 99 et 100 Catalogi Willm.) *inter libros omissos*, n. 8 in Fo.)

Liber in fol., 22 paginarum, consutus et chartaceo involucre tectus. Willmetus ei in fronte hunc titulum praefixit: *E. Scheidii, V. Cl., Apparatus de Idiotismis Linguarum Orientalium*. Et ipse Scheidius, cujus autographus liber est, similiter in summâ pag. 1 inscripsit: *Idiotismi linguarum Orientalium*. Continet nonnullas observationes de syntaxi linguarum Semiticarum, ut ex hoc ejus initio liquet:

## I. De verbis.

I. Verbum singulare masculinum construitur cum nomine plur. masc., sed praecedente verbo; caet.

Exempla autem, ab auctore adducta, fere omnia ex Hebraeo Codice sumta sunt; pauca tantum Arabica addita, e reliquis dialectis nullum. — Ex 22 paginis illis non paucae plane vacuae relictæ sunt, et in aliis parvarum tantum scriptum est.

## N. VI.

(Ex Willm. Cat. n. 68 in p. 13. Ab hoc emtus est e bibl. Walraveni, in quâ annexus erat ei libro, qui in Cat. Willm. est n. 175, in Cat. Walr. n. 3 in p. 57.)

Liber in fol. max., 40 paginarum, Willmeti curâ compactus ligaturâ chartaceâ, Orientalem in modum. In primâ pag. ipse auctor haec inscripsit: *Radices Hebraeae et variae Orientales Figuræ, ex Arabicis Poetis et Zjauhari atque Camus excerptæ, cura Pauli Gyongyossi. Ex usu Bibliothecæ Academiæ Lugduno Batavæ et MSct. O. O.* Ut haec inscriptio indicat, Gyongyossius (Hungarus, Alberti Schultensii discipulus) hic aliquot verba Hebraea, nullâ litterarum ordinis ratione habitâ, ex Arabico sermone illustravit, et e Lexicis Arabicis Gauharii et Firuzabadii tales locos excerptis, qui ipsi dictiones offerre maxime animadvertendas videbantur. Quo anno haec scripserit, hæc non prodidit, sed in libro cui haec olim annexa fuisse dixi, annum 1740 notavit. — Manus Gyongyossi rudis et incomposita est, ac manui Alb. Schultensii valde similis. De 40 autem paginis illis sex postremae vacuae relictæ sunt.

## II. Libri Syriaci.

## N. VII.

(Ex Willm. Cat. n. 219 in p. 32. Ab hoc emtus est e bibl. Walraveni, in cujus Catal. (p. 59 n. 43)

his verbis descriptus est: *Liber incerti argumenti, pessime scriptus et lacerus.*)

Codex in 16°, cujus paginae nunc superstites sunt 457. Scriptus est in chartâ gossypinâ, et squalidiori ligaturâ, e corio nigricante factâ, laxius continetur. Manus quâ exaratus est, non valde perspicua quidem aut elegans, sed tamen satis bona est; quod vero multae paginae nunc fere legi non possunt, id non librarii culpâ factum, sed atramenti quo utebatur naturae tribuendum est: quod cum acrius fuisse videatur, chartam ipsam in compluribus locis exedit et solvit. Cui infortunio accessit veteris alicujus possessoris negligentia, qui non tantum solutas illas chartae particulas passim excidere, sed integras etiam paginas et vel foliorum fasciculos interire sivit (1). Quod sane maximopere dolendum est, cum per argumentum suum hic Codex inter praestantissimos censendus sit. Quodnam opus contineat, ex ipso apparet initio, quod sic se habet:

حسب سنة من تصدق له من اهل بيت الله عليه السلام

(1) Cum mihi hic Codex in manus veniebat, paginae numeris non notatae erant, ac nonnullae earum, a ligaturâ solutae, alieno loco jacebant: has igitur suis locis restitui, et omnes quae supersunt jam ita deinceps notavi, acsi nulla excidisset. Simul tamen lacunarum etiam locos indicavi, quos quidem, accurate collato Scaligeri apographo, sequentes mihi esse apparuit: *duae* paginae exciderunt inter p. 27 et 28; *duae* inter 41 et 42; *duae* inter 253 et 254; *duae* inter 255 et 256; *quatuor* inter 269 et 270; *quatuor* inter 315 et 316; *octo* inter 353 et 354; *duae* inter 407 et 408; *sex* inter 423 et 424, itemque *sex* inter 437 et 438. Praeterea vero unus fasciculus octo foliorum, qui paginas 232—247 continet, nunc perperam post sequentem fasciculum, ex quo duodecim tantum paginae servatae sunt (248—259), transpositus est: quae transpositio cum locum jam habuerit, antequam Codex eâ quâ nunc indutus est, ligaturâ munitur, manifesto arguit, jam pridem negligentius eum habitum fuisse.

فلاص انا لحمهم. اوصد فوصف مقسلا هدملا  
 هدملا مطرو مطرو مقصلا صقلا صق قسلا  
 كصقلا هومق هدملا لاوصلا مقصم كصملا ص  
 خدر اهما خا كك صلا مطرو نام لا هدملا مخوونا  
 انا اف امكلا. Quae verba ut declarant, hic ce-  
 lebratum illud *Lexicon Syro-Arabicum* offerri,  
 quod extremo saeculo 9<sup>o</sup> post C. N. a *Jesūo bar-Ālī*  
 compositum est, ita plane sunt eadem, a quibus hic  
 liber in apographo Scaligeri, quod Bibliotheca Lei-  
 densis possidet (MS. 213), incipit (1). Studiose igitur  
 cum hoc Codice illud apographum contuli, quod  
 eatenus quidem ei simile est, quod in utroque prior  
 tantum Lexici pars, ab ejus initio ad finem fere  
 litterae Nūn (2) offertur, sed longe abest ut omni  
 ex parte cum eo conveniat. Primum enim auctoris  
 praefatio illa, quae in apogr. Scal. statim post verba  
 modo descripta sequitur, et quam ediderunt  
 Gesenius p. 14—18 et Hottinger p. 296—303,  
 hic tota desideratur, ita ut post librarii ista  
 اكللا -- اكللا, continuo ipsum Lexicon hunc in  
 modum incipiat: انا كك انا كك:

(1) Tantum pro انا كك ibi انا كك, pro انا كك,  
 انا كك, et pro انا كك et انا كك male انا كك  
 انا كك, scriptum est; Arabica vero horum verborum inter-  
 pretatio, quae in apogr. Scal. Syriaco textui a latere adjuncta  
 est, hic prorsus desideratur. Eadem haec verba, quae appa-  
 ret librarii praefationem esse, etiam edita sunt (cum aliquā  
 diversitate) a Gesenio in *Commentationis de Bar Alīo et Bar  
 Bahlulo, Lexicographis Syro-Arabicis ineditis*, parte priori,  
 p. 13, itemque ab Hottingero in *Bibliotheca Orient.*, p. 295.

(2) Ultimus articulus, qui in apogr. Scal. exstat, est  
 انا كك يستعد ويتنبا; et sic etiam hic Codex desinit in  
 انا كك. انا كك. Fere igitur abso-  
 luta est littera Nun, at restant tamen ex illā adhuc pauca verba,  
 a quibus posterior tomus inceperit.

صدمه: مقنما انا كك انا كك انا كك انا كك  
 انا كك: انا كك انا كك (الهاوء الجوا القضاء. i. e.):  
 Deinde, ipsum etiam opus in  
 apogr. Scal. multo quam in hoc Codice locupletius  
 est, tum quod ad numerum articulorum, tum passim  
 quod ad explicationis ubertatem attinet: versus finem  
 quidem utriusque textus prorsus aequalis est et fere  
 ad litteram sibi invicem respondet, at in initio et  
 praesertim in medio opere tot articuli in hoc Codice  
 desunt, ut, si reverā (quod Gesenius statuit, p. 25)  
 apographum Scal. *purum Bar-Ālī textum, sine  
 aliorum additamentis, exhibet*, in hujus certe ma-  
 jori parte tantum *excerptum* ex ipso opere factum  
 exstare videatur. Ac denique, etiam hoc inter utrum-  
 que exemplum intercedit discrimen, quod Arabica  
 verba, quibus Syriaca explicata sunt, hic non, ut  
 in apogr. Scal., *Arabicis* litteris, sed, juxta cum  
 caeteris, *Syriacis* expressa sunt. Quam rem in  
 aliis quoque hujus Lexici Codicibus factam esse, ex  
 Gesenii libello, p. 24 vs. 3 et p. 25 vs. 10, appa-  
 ret: cujus de universā operis ratione ac de diversis  
 illius quae hodie exstant exemplis disputatio (in  
 p. 22 seqq.) mihi liberum facit ea hic ut nota  
 praetermittere. — Quamvis igitur hic Codex, tum  
 per breviorum quem offert textum, tum praesertim  
 per hodiernum ejus habitum et paginarum quam  
 passus est jacturam, per se quidem idoneum usum  
 vix praebeat, collationem tamen ejus cum aliis Co-  
 dicibus quantivis momenti esse, accurate pervolventi  
 mihi apparuit: haud pauca enim menda, quibus  
 apographum Scal. laborat, ex hoc corrigi, nonnulla  
 quoque, ibi male ommissa, hinc suppleri posse, et  
 in universum a perito librario sat caste eum scriptum  
 esse, comperi. Sine dubio est vetustissimus, quod  
 et chartae et scripturae color indicat: anni tamen  
 nota non addita est. Litterarum forma ea est quae  
*simplex* appellatur: majori caractere *estrangelo*

tantum cae scriptae sunt litterae, quibus novarum sectionum initium indicatur (||, |, |, caet.).

Verba Syriaca quae explicantur, paulo grandiori ductu quam reliqua exarata ac vocalibus instructa sunt: caeteris vocales rarius adjectae. In ultimâ vero paginâ, *aliâ*, ut credo, quam librarii manu, haec eadem, quae in fine apographi Scal. exstant et a Gesenio (p. 25 seq.) commemorantur, *Arabicis* litteris subscripta sunt: بِسْمِ اللّٰهِ اَشْتَرَا هَذَا الْكِتَابَ بِسْمِ اللّٰهِ الْمُبَارَكِ الَّذِي هُوَ كِتَابُ الْاَخْسَبِقُونَ الْاَبِ الطَّاهِرِ الْكَاهِنِ الْمُؤْتَمِنِ الْقَسِ الْمَكْرَمِ يَعْقُوبَ الْحَجَائِسَ بِالْقِيَامَةِ الْمَعْظَمَةِ لِيَقْرَأَ فِيهِ وَيَنْتَفِعَ وَذَلِكَ مِنْ تَعْبِهِ وَكَانَ فِي سَنَةِ الْبَدِ وَثَمَانِمِائَةٍ وَخَمْسَةِ وَسْتِينَ تَارِيخِ اَسْكَندَرِ<sup>a</sup> Quae quomodo hic pariter atque in Codice illo Boreelii, ex quo Scaliger suum apographum duxisse legitur (vid. Cat. Bibl. L. B. p. 464 n. 1360), et quem ex supra dictis multum ab hoc diversum fuisse apparet, locum obtinuerint, conjecturâ definire non audeo; evidens vero est, haec ipsa Willmeto ansam dedisse, in suo Catalogo hunc librum sic describendi: *Lexicon Syriacum, ordine alphabetico conscriptum, ut videtur, a patre ac presbytero Jacobo.*

#### N. VIII.

(Ex Willm. Cat. n. 221 in p. 32. Ab hoc emtus esse legitur a. 1821 e bibl. Hiddei Heremiet.)

Liber in 4°, 81 foliorum, consutus et chartaceo involuero tectus. Scriptus est manu Johannis Henrici Schaaf, qui tunc temporis doctor privatus erat Litterarum Orient. in urbe Leidae, filius autem Caroli Schaaf, earundem Litterarum in Acad. Leidensi Professoris Extraord. ab a. 1720—1729. Spectat ad commercium epistolicum, quod ab utroque

a) In apogr. Scal. est اَسْكَندَرِيَّة.

hoc Schaafzō, per longam annorum seriem, cum ipsis Episcopis Ecclesiae Christianae Syriacae S<sup>ri</sup> Thomae in Malabariâ, et cum aliis hominibus in horum utilitatem, institutum fuit: cujus hoc duplex erat propositum, tum ut omnia quae ad illam Ecclesiam pertinerent, melius edocerentur, tum ut miseros illos a durissimis vexationibus, quas a Lusitanis se pati quererentur, intercedente Gubernatore Generali Batavorum in Indiâ, liberare tentarent. Commercium illud epistolicum, ut ad annum 1720 a Carolo patre gestum est, tribus fasciculis inter Codices MSS. Bibliothecae publicae Amstelodamensis servatur; ut vero, decem interpositis annis, post hujus mortem (quae die 4° Novembris a. 1729 accidit) a filio Johanne Henrico instauratum et per sex annos continuatum est, in hoc offertur volumine. Ex duabus id partibus compositum est: in quarum *priori*, 44 paginarum, duae offenduntur epistolae ad Episcopum supra dictae Ecclesiae, nomine Maha-Thomam, Chaddenadi in Malabariâ sedem habentem, quibus ipse J. H. Schaafius hunc titulum praefixit: *Epistolae Syriacae, anno 1730 die mensis Januarii confectae, missae vero die 2° Aprilis 1730 per Consulem* [Delphensem, unum e XVII Viris Societati Indiae Orientalis moderandae] *Bogaard van Beloys.* Utraque ita hic in medio est posita, uti prius quam Syriace vertebatur, ab auctore *Hollande* concepta fuit; simul vero etiam e regione textûs Hollandi in alternis paginis interpretatio Syriaca adscripta est, quae quidem passim mutata et erasis quae minus placebant, emendata est. Mirum vero omnibus, qui unquam has epistolas inspecturi sunt, videbitur, quod dies, qui in utriusque subscriptione notatus est, a temporis definitione, in titulo illo praemissâ, discrepat: quae enim priori loco hic posita est, paginas 2—19 complectens, hanc habet clausulam (pro Hollandis aut Syriacis Latina substitui): *Ego, Johannes Henricus Schaaf, filius Caroli Schaaf, hanc epistolam*

scripsi die 2<sup>o</sup> mensis Novembris, anno D. N. Jesu Christi 1729; et posterior, quae a p. 20 ad 43 procedit, et in quâ non, ut in priori, filius J. H., sed pater Carolus se auctorem profitetur, qui eam filio suo dictasset, in hunc modum desinit: *Exarata est haec epistola manu Joh. H. S., filii Caroli S., in urbe Leidae, urbe Hollandiae, 1<sup>o</sup> die mensis Novembris, anno D. N. J. C. 1729.* Hanc igitur discrepantiam, post consideratum ipsarum epistolarum argumentum, sic explicandam esse suspicor: utramque reverâ post Caroli mortem, mense Januario a. 1730, a filio scriptam esse, et quidem responso ad litteras Syriacas, ab Episcopo Maha-Thomâ ex Indiâ missas, quae, per multos annos frustra expectatae, brevi ante in Hollandiam advectae ipsique traditae fuissent: quibus acceptis, continuo hunc constituisse, commercium illud, prius a patre, ipso quoque adjuvante, gestum, nunc vero aliquantisper intermissum, denuo instaurare; sed visum ei fuisse, quia Episcopus iste e litteris antea missis, solum patrem cognovisset et nunc etiam huic respondisset, non prius ex suâ personâ sibi scribendum esse, quam a patre tanquam fidus et peritus negotiorum gestor illi commendatus esset: hac igitur de causâ binas eum litteras (diversas quidem inter se, sed consimilis argumenti) composuisse, alteras ex patris personâ, alteras ex suâ scriptas, in quarum prioribus diem notaret 1<sup>um</sup> Novembris (utpote qui mortem illius adhuc triduo antecessisset), in posterioribus vero diem proxime sequentem (1).

(1) Ut Lectori appareat, explicationem quam proposui, argumento earum epistolarum reverâ fulciri, haec verba describam, quae in illâ quae a patre profecta fingitur, versus finem (p. 38 seq.) occurrunt: *ne crede cuiquam negotia tua, ne vel ulli quisquis sit, nisi afferantur epistolae meâ manu scriptae et meo nomine notatae et meo sigillo obsignatae. Sed quando epistolas ad te scribit filius meus dilectus, Johannes Henricus Schaaf, qui omnibus mei muneris negotiis fungi-*

In alterâ parte hujus voluminis novem exstant epistolae aut epistolarum fragmenta. 1<sup>o</sup>. Versio Syriaca partis epistolae, quam ad Joh. H. S. responso miserat, mense Novembri a. 1730, Gubernator Generalis Batavorum in Indiâ, Didericus van Durven: quam partem ideo ille ex Hollando in Syriacum sermonem hic convertisse videtur, ut eam adjungeret litteris, a se ad Episcopum Maha-Thomam mittendis, pro certo documento benevoli illius Praefecti erga Christianos Malabaricos animi; 4 pagg. 2<sup>o</sup>. Epistola Hollanda Johannis H. S. ad eundem Gubernatorem Generalem, scripta Leidae d. 28 Octobris a. 1731; 3 pagg. 3<sup>o</sup>. Excerptum, Hollande versum, ex epistolâ Syriacâ Episcopi Maha-Thomae, scriptâ ad Carolam S. die 20 Januar. a. 1715: quod annectendum erat superioribus litteris; 3 pagg. 4<sup>o</sup>. Epistola Hollanda Johannis H. S. ad Gubernatorem Generalem Didericum van Kloon (successorem Durveni), scripta Leidae d. 12 Martii a. 1732; 5 pagg. 5<sup>o</sup>. Longa epistola ejusdem ad Episcopum Maha-Thomam, scripta Leidae d. 15 Sept. (ipsius, uti addidit, die natali) a. 1731: quae epistola hic rursus ita, ut supra p. 13 vs. 26 seqq. dixi, Hollande simul et Syriace est tradita; 62 pagg. 6<sup>o</sup>. Epistola ejusdem ad eundem, scripta d. 12 Martii a. 1732, itidem Holl. et Syr.; 4 pagg. 7<sup>o</sup>. Epistola ejusdem ad eundem, scripta d. 15 Sept. a. 1733 (die ipsius natali 32<sup>o</sup>), itidem Holl. et Syr.; 10 pagg. 8<sup>o</sup>. Epistola Hollanda ejusdem ad Gubernatorem Generalem Didericum van Kloon, scripta Leidae d. 30 Sept. a. 1733; 11 pagg. 9<sup>o</sup>. Epistola Hollanda ejusdem ad viduam hujus Praefecti, quâ eam de mariti morte consolatur, et simul de epistolis, tam a se in Malabariam datis quam ad se fortasse responso

*tur, huic filio meo secure confidere potes, ac pro certo habere, eum omnes res tuas eodem illo amore integro curaturum, quo ego ipse eas curem, caet.*



inde missis, sciscitatur; scripta Leidæ d. 30 Octobr. a. 1735; 4 pagg.

Denique separatim huic volumini adjecta est versio Latina, a Carolo S. facta et ipsius manu exarata, epistolæ Syriacæ, ab Episcopo Maha-Thomâ ad Patriarcham Syriæ Antiochenum, nomine Ignatium, scriptæ Chaddenadî anno 1709; 2 pagg. in fol. Et porro cum hac conjuncta est ejusdem epistolæ versio Hollanda, manu multo recentiori scripta; itidem 2 pagg. in fol.

#### N. IX.

(Ex Willm. Cat. n. 220 in p. 32. Ab hoc emtus est e bibl. E. Scheidii, cujus vide Catal. p. 99 n. 72—75.)

Fasciculus foliorum convolutorum, in tegumento chartaceo colligatus. Insunt ei 1°. Apographa nitidissima, scripta manu Johannis Henrici Schaaf, trium epistolarum Syriacarum, ab ipso ad Episcopum Maha-Thomam datarum; ex quibus prima plane eadem est, quam in superiori pag. n. 6, et secunda eadem, quam n. 7 commemoravi; tertia vero secundum subscriptionem exarata fuit d. 14 Octobr. a. 1735, et in volumine illo non exstat. In his apographis nudus textus Syriacus se offert. 2°. Ejusdem Schaafii carmen Syriacum 24 stropharum, quarum singulæ 4 versibus constant; factum die 6 Octobr. a. 1727 in laudem Caroli Crucii, quum J. U. Doctor designaretur, scriptumque elegantissime in membranâ, ipsius auctoris manu. Juxta illud servatur alterum ejusdem carminis exemplum, cui prius a se scripto multasque correctiones et rasuras passo, ipse Schaa-fius versionem Latinam adjecit. 3°. Ejusdem hymnus Syriacus Jacobiticus (ut ipse appellavit), 148 stichorum, compositus die 30 Julii a. 1729, in honorem Johannis Oosterdijk Schagt, quum ad ordinariam Medicinæ professionem in Acad. Traject. vocatus esset; itidem autographus. 4°. Ejusdem hymnus Syriacus Ephremiticus 8 stropharum tetrasticharum, quo fratri suo natu minori, Antonio

Wilhelmo, gratulatur, Medicinæ Doctori creato (1). Ipse suâ manu Syriaco textui Latinam versionem adjecit, sordidius scriptam. — Juxta hoc folium aliud servatur ejusdem formæ eâdemque manu scriptum, sed longe diversi argumenti: continet enim aphorismos quosdam ad praxin medicam spectantes, quorum auctorem se in fine profitetur *Jehoschua Heschel medicus* [Judæus], qui temporis notam addidit a. 492 *juxta supputationem minorem*, id est, a. Christi 1732. Videtur ergo J. H. Schaa-fius ad fratrem suum, quum hoc ipso anno aut sequenti Med. Doctor renuntiaretur, una cum carmine suo gratulatorio apographum misisse horum aphorismorum, qui quidem ipsi animadversione dignissimi visi sint. 5°. denique, ejusdem carmen Syriacum 24 stropharum tetrasticharum, in honorem Principis Arausiaci Nassovici, Wilhelmi Caroli Henrici Frisonis, sive Guilielmi IV., quum Governator Fœderati Belgii et Dux terrâ marique Supremus dictus esset. Unde ergo apparet, quum anni nota non addita sit, id carmen a. 1747 fuisse compositum: in subscriptione vero his verbis se auctor designat: *a Joh. H. S., Caroli Prof. filio, quondam Philologo, nunc Doctore Medico, et Cive Practico Amsteledamensi*. Juxta hoc nitide exaratum exemplum jacet alterum sordidius, manu ipsius etiam Schaafii scriptum, in quo Syriacis vocabulis Latinam interpretationem adjecit.

(1) Dies et annus non notati sunt; verum cum matrem suam hîc *viduam* appellet, evidens est, id carmen certe *post annum 1729* confectum esse. Et cum in epistolâ, quam die 15° Sept. a. 1733 ad Episcopum Maha-Thomam scripsit (N. VIII, 7°), de eodem illo fratre ut *Med. Doctore* loquatur, simul inde apparet, jam *ante id tempus* illud exstitisse.